

plus justo tribuentes, maxime nbi nova cadunt vocabula, quæ in errorem inducere possunt incautos, quam primum reprimere. Porro (ut cum Guillelmo loquar Vitæ lib. 1. num. 41) *si nimietas in eo reprehenditur sancti fervoris; habet certe apud pias mentes excessus iste reverentiam suam... Felix, cui solum reputatur ad culpam, quod cæteri sibi solent præsumere ad gloriam.* Verum Otto ipse quantumvis Abælardo favens, fatetur tamen, ipsum tres sanctissimæ Trinitatis personas *nimis attenuasse, non bonis usum exemplis* atque ob hoc apud Sussionem in provinciali synodo **SABELLIANUM HÆRETICUM JUDICATUM.** Quid ergo mirum, si eadem iterum recantans, male audit apud sanæ fidei amatores?

321. « De Berengario Pictaviensi, qui Apologiam pro Abælardo præceptore suo contra synodum Senonensem et Bernardum scripsit, non est quod multum curemus, tum quia homo flocci fuit ac nullius auctoritatis: tum quia idem, ad saniolem mentem reversus, noluit amplius esse *patronus capitulorum objectorum Abælardo, quia et si sanum saperent, non (tamen) sane sonabant:* librum suum suppressurus, si potuisset, ut ipse testatur in epistola ad episcopum Mimatensem. Cæterum et si Abælardi Opera, in quibus errata sua resperserat, modo non habeamus omnia, in iis tamen quæ restant, multa sunt **SALEBROSA**, ut notarunt theologi Parisienses, qui **SINGULIS PERICULOSIORIBUS DICTIS AMULETUM** in limine ejus operum adhibuerunt: ex quibus optandum quidem esset, ut Præfatio apologetica expungeretur. » Sic loquitur Mabillonius, pro S. Bernardo nervose, contra Abælardum vero ejusque defensores modeste, more sibi consueto, ac erudite.

322. Quid, quod sancti doctoris causam egregie tueatur in notis ad epistolam ejus, ordine centesimam octogesimam septimam, in quibus post compendium vitæ Abælardii ac epistolam Innocentii, papæ adversus ipsum, et Arnoldum de Brixia, quos tanquam « perversi dogmatis fabricatores, et catholicæ fidei impugnatores, in religiosis locis... separatim jubet includi, et libros erroris eorum... igne comburi; » post hæc, inquam, respondet ad objectiones, quæ contra Bernardum, et pro Petro Abælardo sunt. En tibi rerum synopsis. Primo itaque respondet ad objectionem ex Otone Frisingensi petitam contra sanctum doctorem: deinde ad testimonium Petri Venerabilis pro Abælardo: tum ad machinas prolabefactanda synodi Senonensis auctoritate: denique ad ea, quæ adversus Romanum pontificem in causa Abælardi opponuntur; quæ pluribus ibi deducta sunt. Negotium item S. Bernardi contra Abælardum, de quo hic hæcenus est dictum, intextitur Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi 1140, cap. 2 et sequentibus. Hæc sunt, quæ de præsentis controversia est producere: unde concluditur, Petrum Abælardum, e dialectico acuto factum male feriatum theologum, erronea dogmata in fide orthodoxa scripsisse, deque iis convictum fuisse, atque adeo ejus

**A** fautores ac defensores esse malæ ac desperatæ litis patronos; Bernardi vero auctoritatem manere integram, optime videlicet de bono communi meriti ac triumphantis de erroribus ejusdem scribillatoris; qui hodieum etiam adeo foetet apud probe catholicos, ut in Indice librorum a sancta sede prohibitorum pag. 390 editionis Romanæ anni 1711 signetur Abailardus inter auctores proscriptos primæ classis. Post duo præcedentia puncta, quorum alterum erat de moribus ac vita ejus, alterum de doctrinæ erroribus, ambo dilatata in subsidium biographi Gaurifridi, cujus illustramus narrationem; addamus etiam aliud.

323. Expendamus itaque tertio circumstantiam aliquam, quæ accedit in sancti cum Petro congressu apud Patres synodi Senonensis, de re autem ipsa legi potest idem biographus. Circumstantiam igitur hanc de Abælardo refert apud nos lib. III, cap. 2, num. 165: « Nam et confessus est postea suis, ut aiunt, quod ea hora, maxima quidem ex parte memoria ejus turbata fuerit, ratio caligaverit, et interior fugerit sensus. » Eventum hunc plane mirabilem tam ex persona Abælardi, quam ex persona Bernardi, ita accidisse providentia Dei singulari, qui illum quidem, potentem ingenio ac eloquio in oculis suis, deposuit de sede rationis hunc vero exaltavit humilem, quis inficias ierit? Rem ita exponit annalista Claravallensis ad annum Christi 1140, cap. 3, num. 1 et 2: « Sanctus Pater detrectare pugnam, et certamen omnino disrenuere, nec se in duello æqualem profiteri, rudem magistrum, rusticum philosopho inter fagos et quereus enutritum, versatissimo scholarum professori. Quid sibi cum scholasticis quæstionibus? Quid cum disputationibus subtilibus? Quid cum argutiis? In quibus tamen, et quidquam profecisset, quis pauper monachus, cui causa fidei et Ecclesiæ committeretur? Esse in ipsa magistros insignis nominis; esse et in Parisiensi academia Victorinos Hugonem Richardumque, quibus id posset securius demandari: se orationibus promoturum, qua posset, partem catholicam, quod monacho familiarium quam disputare. His et similibus similior, quo sapientior, non se Ecclesiæ negabat, sed sibi gloriam. Verum cum vota omnium in eum conversa, solum Bernardum pugne postularent, ne tam ipsi præsumptio, quam, causæ Christi propugnatio deesse videretur, tandem consensus, a Deo ipso accepturus quod illi redderet. » Hæc Manricus. Hunc pertinet Bernardi epistola ordine 187, quæ dirigitur « ad episcopos Senonas convocandos contra Petrum Abælardum. »

324. In hoc autem illud fuit mirabile, « quod in eadem hora, » quemadmodum Manricus num. 5 et 6 subdit, « verbosum hominem, facillimi promptique discursus, adeo ingenium memoriaque reliquerint, adeo verba, ut nihil unquam prorsus a se dictum, nihil scriptum, et nec materiam, nec vocabula rerum recordaretur... Sic divina providentia factum est, ut qui confidens in virtute sua, et in multitudine ar-

gularum suarum gloriabundus advenerat, confusus abiret, et pro victoria, quam dudum præcecinerat, pudorem et ignominiam reportaret. »

325. Abælardi discipulus, assecla, et patronus fuit Arnaldus, vel Arnoldus, sive Arnolphus de Brixia, de quo supra obiter, ac pluribus postea. Versipellis hujus sycophantæ et hæretici perversa dogmata et damna graphice depingit sanctus doctor in epistolis 195 et 196. Huc autem faciunt Bernardi de eo verba, eidem epistolæ 195 inserta: « Videbitis hominem aperte insurgere in clerum, fretum tyrannide militari, insurgere in ipsos episcopos, et in omnem passim ecclesiasticum ordinem desævire. » Baronius ad annum 1140, num. 3, « Quod contigit, ait, cum post obitum Innocentii Romam se contulit sub Eugenio papa: » atque adeo hæc inter alia prophetice a sancto scripta censet. Vivam porro inferius, quando de isto pontifice ad sedem Petri admoto tractabimus, impiissimi hujus profanatoris hierarchiæ ecclesiasticæ imaginem representabimus, ut norit lector, quam exacte S. Bernardi prædictio postea impleta, et quam provide antea fuerit in bonum commune ab eo præmonstratum detectumque pestiferum hujus hæretici virus.

§ XXX. *Sanctus tesseris lucratur clericum; alium data pecunia, qua pro se ludat, facinorosum a morte liberat, et monachum facit; patienter fert injuriam; mors Humbelinæ sororis; oppressos defendit; gesta in lite sacerdotii cum regno.*

226. Sequitur annus Christi 1141, quo sanctum abbatem a negotiis externis ad domestica traductum convenimus, rebusque Claravallensibus intentum contemplabimur. « Evacuato conventu, ut perhibent **Annales Cistercienses** ad eundem annum cap. 3, num. 1, per annos singulos ad novas fundationes monasteriorum, plures ac plures Bernardus sufficiebat, partim prædicatione conversos, partim miraculis, resistentes vel per propria vitia pertrahebantur. » Exemplo sit celebris ille clericus lusor, seu illusor, qui, dum capit equum, a sancto capitur ipsemet jucundo ac mirabili modo. Historia ibidem e Caesario Heisterbacensi, qui citatur in Homilia 5 in Dominicam III post Pentecosten, his describitur verbis: « Cum die quadam per viam equitaret sanctus Pater, eique vagi clerici, quos everandinos vocant, occurrerent, ad conversionem illos monuit. Ad quem unus: Ego ludam vobiscum tesseribus [tesseris]. Si sors pro me responderit, detis mihi equum vestrum: si pro vobis, sequar vos in monasterium. Respondente sancto. Fiat voluntas Domini: mox ille taxillos falsatos extrahens, decem et octo puncta jactavit. Monachis turbatis, et Dei consilium ignorantibus, Vir beatus, spem habens in Christo, pro hominis salute tesseras levavit, et deposuit. Et, ecce, in duobus apparuerunt oculi duodecim, tertius vero in duas partes divisus, in uno latere sex, in altero quinque puncta declaravit. Quo viso territus clericus secutus est hominem Dei ad Claramvallem, factusque est monachus probatus. Hoc factum usque hodie valde celebre

est in scholis magistrorum Parisiensium. » Hæc e Caesario, qui sæculo decimo tertio floruit.

327. Simili modo divina lusit, ut ita loquar, providentia per S. Bernardum, quando hic alium quemdam, ordinis religiosi pertæsum, ac paratum eidem nuntium remittere, ad pristinum vitæ institutum revocavit per lusum. Factum refert ibidem Manricus num. 2 ex Vincentio Bellocacensi, quem in Speculo morali parte IV, distinctione 13, hæc memorantem citat: « Legitur in Vita S. Bernardi, quod quemdam in monachum acceperat, qui lusor fuerat; qui cum omnino vellet exire ordinem, quæsivit sanctus, quid facere sciret, unde victum suum acquireret. At ille ait, se nihil scire facere, nisi cum talis ludere. Ad hæc S. Bernardus: Et si tibi capitale commisero, volo, ut singulis annis venias computare mihi, et lucrum dividere. Esto, inquit; et accipiens triginta solidos, latus abiit. Post modicum tempus perdidit, et confusus ad portam rediit. Quod audiens beatus Bernardus, lætus illic perrexit, et gremium suum extendit, ut lucrum simul dividerent. At ille ait: Nihil lucratus sum, sed solidos vestros amisi. Sed si vultis me recipere, potestis me habere pro vestro capitali. Ad quem sanctus: Melius est, ut te recipiam, quam totum simul perdam. Et recepit eum, gaudens de ejus recuperatione. »

328. Cæterum quemadmodum vir sanctus flagitiosum hominem, ac morte plectendum, liberavit ab utroque malo, atque ad optimam frugem reduxit, intellige ex sequenti historia, quæ exstat in Exordio magno Ordinis Cisterciensis apud Tissierium, distinctione 2, cap. 15, quamque Manricus per hoc idem tempus accidisse indicat num. 3. Factum audi: « Contigit aliquando eundem Dei famulum pro quibusdam negotiis adire comitem Theobaldum. Cumque appropinquaret oppido ubi illi tunc erat, obviam habuit turbam hominum copiosam, qui, jubente comite, latronem quemdam facinorosum atque famosum ad supplicium pertrahebant. Quo viso, elementissimus Pater apprehendens manu sua lorum, quo erat miser strictus, ait tortoribus ejus: Dimitte mihi sicarium istum; ego enim volo manibus meis suspendere eum. Audiens autem comes adventum hominis Dei, festinavit illico occurrere ei. Miro namque devotionis affectu semper eum dilexit, atque eum honoravit. Cumque videret funem in manu ejus, quo latronem post se trahebat, exhorruit, vehementer, et dixit: Heu! venerabilis Pater, quid est hoc quod facere voluisti? Ut quid enim furciferum istum millies condemnatum a porta inferi revocasti? Nunquid eum salvum facere poteris, quia jam totus diabolus [al. diaboli] factus est? Desperata est penitus correctio [al. correctio] ejus: nec unquam bene facere poterit, nisi moriendo. Sine igitur, domine Pater, sine perditionis hominem perditum iri; quia de pestifera vita ejus multorum [vita] periclitatur.

329. « Respondens autem Pater sanctus dixit: Scio quidem, virorum optime, scio hunc esse latronem sceleratissimum, omniumque tormentorum acerbis-

tate dignissimum. Non me ergo existimes hujusmodi peccatorem impunitum velle relinquere: quin potius cogito eum tortoribus tradere, et dignam ex eo capere ultionem: quæ utique tanto dignior erit, quanto diuturnior. Tu illum decreveras brevi supplicio et momentaneo interitu consummari; sed ego eum faciam diuturno cruciatus, et morte longissima mori. Tu furem appensum, per unum aut per plurimos dies mortuum in patibulo manere permitteres; ego cruci affixum per annos plurimos faciam in pœna jugiter vivere et pendere. Quo audito, princeps Christianissimus siluit: nec ausus est ultra contradicere sermonibus sancti. Profusus ergo benignissimus Pater, exuta tunica sua, induit ex ea captivum suum, et attonsa coma capitis ejus, sociavit illum ovili dominico, de lupo faciens agnum, de latrone conversum. Qui veniens cum eo ad Claramvallem, factus est deinceps obediens usque ad mortem, pulchre nominis sui etymologiam exprimens in constantia propositi sui: Constantius enim vocabatur. Itaque tringinta, ni fallor, aut eo amplius annos in ordine supervivens, migravit ad Dominum, qui eum per merita beatissimi Patris nostri a duplici morte, corporis videlicet et animæ misericorditer eripere dignatus est. » Hæc auctor Exordii. De Theobaldo autem, qui supra memoratus est, Campaniæ comite, agunt variis locis Annales Cistercienses, quorum index consuli potest, uti et biographi Ernaldus lib. III Vitæ S. Bernardi cap. 6, et Gaufridus lib. IV, cap. 2.

330. Eorundem Annalium parens tribus hæc factis, quæ modo retulimus, subjungit num. 6 unum alterius generis, videlicet «cujusdam regularis clericici facinus execrandum, a quo alapa inflictæ sancto abbati, in repulsæ vindictam, repellentis iudicium comprobavit, extulit patientiam; quam principes, quam reges venerarentur, dehonesta facie manu sacrilega, nec solum rubore doloreque percussa, verum tumore. » Adis Gaufridum lib. III, cap. 3, in quo res ista pluribus narratur. Monet autem laudatus Manricus sub finem capituli 3, se ea, quæ retulerat, cum certus annus singulis non subesset, in unum congegisse: quod et nobis exemplum ipsius secutis faciendum duximus. Idem auctor cap. 4 scribit de piissimo obitu Humbelinæ, germanæ sororis S. Bernardi, quæ tum ibi tum apud alios cum titulo sanctæ nominatur; sed nobis hæcenus duntaxat inter venerabiles reponenda videtur, quæ diu de publico ejus cultu non constat. Manricus itaque ipsi ad mortem usque ægrotanti adfuisse sanctum Patrem commemorat, deinde etiam referens mutua utrinque colloquia, ac Bernardi, qui tantisper eam relinquerat, revocationem ministerio angeli tabulam pulsantis. At hæc, corpus, inquit, num. 8: « Sanctæ sepulturæ traditum fertur, celebrante Bernardo officium funeris, atque inter [hæc] congaudentem et lacrymantem: sed prævalente gaudio, maxime cum gloriosa illi apparuit, gratulans de mercede, quam ipsius hortatu promerisset. » Hæc ille.

331. Sed habemus aliquid contra rationem tempo-

ris, cui idem historiographus venerabilis Humbelinæ, quæ alibi vocatur Humberga, obitum innectit. Apud nos tomo IV Junii, die 23, a pag. 608 edita est Vita S. Petri monachi, prioris Juliænsis prope Molisum in Campania Galliæ: in cujus Petri Vita cap. 3 dicitur is ab angelo edoctus Humbergam mox morituram. Vitam hanc antea tenebris eruerat, ac typis vulgaverat noster Petrus Franciscus Chiffletius in tractata de S. Bernardi abbatis Claravallensis genere illustri, a pag. 134. In observatione autem, quam habet de anno et die obitus laudati Juliænsis prioris, pag. 155 et sequentibus statuit eum e vita migrasse anno Christi 1136. « Unde videre est, uti, habet a pag. 156, longe a scopo aberrasse Angelum Manrique in Annalibus Cisterciensibus anno Christi 1141, cap. 4, num. 1, ubi ait vixisse adhuc Humbelinam S. Bernardi sororem anno 1140 et haud procul anno 1141 pie in Domino obdormivisse. Nam qui ei morienti adfuit Petrus prior, si obiit Junio anni 1136 quomodo illa quinto post anno adhuc in vivis fuit? » Hæc breviter ex eo hic indicasse sit satis, pluribus ibidem deducta. Hæc Chiffletii observatio militat etiam contra Bailletum, qui ad diem 21 Augusti in Vita Humbelinæ, quam edidit, ejus mortem illigat anno 1141; item contra alium Gallum in Vita S. Bernardi Parisiis vulgata anno 1704, lib. IV, pag. 350.

332. Nonnulla alia litteris mandavit de S. Bernardo ad dictum annum 1141 cap. 5 Cisterciensis historicus. « Per idem tempus ait num. 1, venerabilis Guido abbas Cariloei Bisuntinensis, cum a vicini conventus pseudopræposito, homine alias perdito et profuso, per omnem injustitiam opprimeretur, summum Ecclesiæ præsulem appellat, Romam ad illius audientiam perrecturus. Exstat epistola Bernardi ad Innocentium affectuosa pro ipso, in offensorem acris, et quæ ita unius causam commendat; ut describat utriusque qualitas. Deinde illa epistola ibidem recitatur, quæ est ordine centesima nonagesima octava, atque in ipso fonte legi potest. Negotium illud iterum obnixè commendat eidem Christi vicario, uti perspicuum fit e proximè sequente epistola ad ipsum data hoc titulo: Rogat sententiam pro religiosis iniique oppressis latam confirmari, nec ulterius aures præberi calumniis. » De iudicibus, qui pro Caroloco sententiam pronuntiarint, et quo modo ejusdem executione retardata fuerit, scribit Manricus ibidem num. 4; ac num. 6 animadvertit, « in Bernardo... mirum esse non debere, si filios, quos tam arcte persequeretur, non pateretur vexari a potentioribus: cui adeo inopum a natura indita, sed per gratiam perfecta protectio fuit, ut ne animalia (quidem) bruta, se præsentem, opprimi pateretur, atque id frustra ab aliis tentari diceret, per se, quæ diu posset, impediendum. » Legi possunt, quæ habet Gaufridus lib. III Vitæ, cap. 4.

333. Verum alia ac majoris periculi tempestas Viri sancti laborem et dexteritatem exercuit. Factum audi ex Annalibus Cisterciensibus allegatis, cap. 6: Hoc eodem anno Ludovicus Junior, ætate in mori-

bus indisciplinatus, potentia ferox, inobediens in Ecclesiam frena relaxans, Innocentio rebellis, etiam Theobaldum aversus infestabat antiqua similitate in virum, quantumvis sanctum: an quia Ecclesiæ Innocentioque faventem, adeoque sibi contrarium experiebatur? Ea Bernardi, et totius Cistercii causa duplici titulo: primum, quia Ecclesiæ, mox, quia Theobaldi, per Bernardum et nostros pertracta. . . Vix ulla gravior, vix ulla difficilior aut laboriosior, lubrica semper voluntate regum; sed lubriciori, quoties ira aut vindicta præcipitantur: Bernardus æque in regem, et pro rege, post longum licet tempus, iris fuit. Prima dissidiorum occasio Petrus, Bituricensis ecclesiæ dudum viduæ, nempe a morte Alberici, a pontifice datus in pastorem: quem sine assensu suo consecratum, rex indecorum; si admitteretur, injuriosum reputabat. Nec deerant aulicorum consilia pro more curiæ, non ut dirigerent, sed ut frequenter, atque ipso obsequio impellentes præcipitent. Unus Theobaldus comes constantior cæteris dum contradicit, fidelior inveniebatur, sed quo fidelior, eo magis invisus, regis in se vindictam sollicitabat. » De his Robertus imo pseudo-Robertus secundum dicenda § 32. Sigeberti continuator ad hunc annum: cujus textus in laudatis Annalibus mox subditur: « Hoc eodem anno (scilicet 1151) orta est dissensio inter papam Romanum, et Francorum regem Ludovicum: unde ecclesia Gallicana turbatur. Defuncto enim Alberico, Buturicensi archiepiscopo, missus est Petrus a papa Innocentio, ejusdem ecclesiæ pastor consecratus; sed a rege Ludovico repudiatus, eo quod sine ejus assensu fuerit consecratus, in civitate minime recipitur: cujus partes quia propter reverentiam seu voluntatem papæ comes Theobaldus fovere crederetur, simultas, quæ sopita videbatur, inter regem et ipsum cœpit repullulare. » His a Manrico recitatis, subduntur ista in ejus Annalibus: « Addidit Ludovicus juramentum ira præcipiti, non, se vivente, inconsulto ipso sacratum ad pontificiam sedem ascensurum: et erat superstitio ea Francigenis, ut quodcumque firmasset sacramento non perficere, infamiam reputarent.

334. « His Bernardus permotus, anxiusque, ac majoribus adhuc malis præcavens, integro anno, conatu primum irritato, mox fructuoso, paci insudavit inter sacerdotium et regnum restituendæ. Id quod anno sequenti ipsemet sanctus ad Ludovicum scribens fidenter loquitur epistola 221. Vos scitis, quanto labore, quanta [Mabil. quantaque] sollicitudine, toto anno præterito, querendæ paci vestræ attendi [Ibid. intendi]. Igitur primum regem, ut respiceret; mox Innocentium, ut parceret, aggrediens; cum neque ille ab inobediencia resiliiret, obtendens juramenti religionem; et hic claves Ecclesiæ contempas dolens, anathema in regem comminaretur: quod erat reliquum, ad quatuor episcopos cardinales curiæ (inter quos Stephanus dilectus ipsius filius), litteras dedit, consulturos reipublicæ Christianæ, atque Innocentium, si possent, emollituros.

Indulgeat Pater filio, senex juveni, ecclesiasticus sæculari, demum sacerdos regi, qui vellet quidem sed non satis auderet præ verecundia sacramenti violati probrum incurrere. Atque ecce exemplar litterarum sancti Patris, quæ dictis, obiter etiam fidem faciant. » Epistola illa, quam mox recitat Manricus, est ordine ducentesima undevigesima, atque in editione Mabillonii hoc titulo prænotata: *Ad tres episcopos curiæ, Albericum Ostiensem, Stephanum Prænestinum, Igmerum Tusulanum, et Gerardum cancellarium.* In notis vero inter alia observantur ista: « In scriptis nonnullis, quatuor. At lectio vulgata melior. » Siquidem episcopus non erat Gerardus cancellarius, qui hic quarto loco memoratur, postea pontifex creatus, dictusque Lucius II. » Accedit eo, quod eadem epistola in dicta editione intextatur anno Christi 1143. Et vero res quidem tunc illa, pro qua vir sanctus laborabat, bene successit; sed discordia vix fuit sopita, quin novo dissidia perturbarent pacem, uti memorat Manricus a num. 6, et illico apud nos ex eo pluribus dicitur. § XXXI. *Lis illa vix sopita, novis dissidiis recrudescit; Bernardi ad eam componendam novilabores.*

335. Quod sub finem paragraphi proximè præcedentis Bernardum intendisse diximus, obtinuisse, ut refert Manricus loco ibidem indicato, compertum est, nec tunc in regem anathema indictum. Quin et eundem convictum sancti monitis consensisse pontifici, ut Petrus in Bituricensi sede collocaretur. Sed et Theobaldo firmata regis gratia certis pactionibus, quibus pro rege selecti duo viri, Joslenus scilicet, Suesionensium pontifex, et Sugerius, abbas S. Dionysii Parisiensis, quem sanctus doctor ad meliorem frugem dudum converterat, ut suo loco notavimus. Pro Theobaldo item alii duo, episcopus et abbas, Cisterciensis uterque, Hugo nimirum Antissiodorensis, Bernardusque qui conditiones utrinque diffinirent, utrinque componerent. Sed inter alias præcipue illud sancitum, quod sanctus Pater, turbata postea pace, ad utrumque advocatum regium commemoravit epistola 222 hunc in finem, ut si qua de conventionibus illis controversia aut dissensio nasceretur, nihil mali sibi invicem facerent, aut quærerent, donec coram nobis tribus pariter, et domino Antissiodorensi ventilata res esset, atque discussa, qui et tunc mediatores fuimus, et, si quid emergeret controversiæ, debuimus esse reconciliatores. » Sed quales paci vix stabilitæ difficultates iterum se ingesserint, memorare juvat.

336. Annus erat millesimus centesimus quadragimus secundus, ut referunt Annales Cistercienses ad hunc annum, « cum vix adhuc sopitæ dissensiones inter pontificem, Theobaldumque, et Ludovicum regem, novis dissidiis denuo recrudere. Et forte, quod non potuit in Innocentium, in Theobaldum irruit violentior ira, Radulfus Viromandorum comes materiam fecit, repudiata uxore, et Petronilla Guilielmi ducis filia, ac reginæ sorore superinducta. Divortio consanguinitatis quæsitus color: nec de-

fuere testes regiae cupidini, et tres episcopi inventi inter primores, qui pro Radulfo sententiam pronuntiarent, secreto tamen, ac veluti per tenebras, quasi ipsorum conscientia reclamante, nec ferente inter nota flagitia solis aspectum. Tunc Theobaldus pro sorore zelans, zelans pro matrimonio, Bernardum adiit, consilium simul et auxilium imploraturus. At sanctus Pater, comperta veritate, et laesi sacramenti vicem primum, mox amantissimi principis injuriam dolens, Innocentium appellans utriusque vindicem, tales ad eum pro comite Theobaldo litteras dedit: » quæ ibidem recitantur; habetur vero epistola illa inter alias Bernardinas ordine ducentesima decima sexta. Quænam autem post eam secuta sint, ita enarrare pergunt laudati Annales num. 3.

337. His litteris acceptis Innocentius Ivonem presbyterum cardinalem in Gallias mittit plenaria potestate, per quem divortii causa decidetur. Hic, veritate indagata, compertaque, Rodulfum comitem percussum anathemate novam nuptiam dimittere compellit, inobedientem extra communionem fidelium factum declarat, terram illius interdicto subicit, ac tres episcopos, quorum auctoritate res tota gesta, sacris ordinibus atque ecclesiae ingressu suspendit, cuncta ex justitia, et mente sacrorum canonum. » De his Robertus Sigeberti continuator, hoc anno: cujus verba Manricus sic recitat: » Radulfus Viromandorum comes uxorem suam dimittit, et sororem reginæ Petronillam ducit. Propter quod instantia comitis Theobaldi mittitur Romanæ sedis Ivo legatus, qui et Radulfum comitem excommunicavit, et episcopum Laudunensem Bartholomæum, Noviomenses Simonem, Petrum Silvanectensem, qui divortium illud fecerant, suspendit. » Pergunt Annales: » Legatus interim, viam universæ carnis ingressus, per propriam mortem sententiam confirmavit. Quippe ipso de medio jam sublato, cum forte zelo effervescente, mitigaretur, solus restabat adeundus Romanus pontifex qui non de facili posset exorari. » Sic Manricus. Adisis Spicilegium Acherianum tom. XII, pagina 480. At Ludovicus, sicut subdunt dicti Annales numer. 4, » dum se frustratum videt, atque ignominiam, quam comiti intulerat ex sororis repulsa, in reginæ sororem recidisse... ad arma confugiens... contra fas, contra jus, contra pactiones, inexpectatis et inconsultis arbitris, Theobaldum comitem hostiliter infestat, in omnem ejus ditionem grassatus ferro et igne. Et eo usque atrocitas pervenit, ut pius comes vitandis fidelium cædibus, rapinis, stupris, et aliis belli malis, quæ victores et victos æque involvunt, juramentum præstare compulsus sit absolutionis a pontifice impetrandæ, seu proprium dedecus postponens salutem civium, seu tempus redimens promissa absolutione, quæ vel negari ab Innocentio posset, vel, si concederetur, revocari. » Rem prodit Bernardus in epistola ad Innocentium ordine 217.

338. » Tum summus pontifex, sicut pergit Manricus num. 6, Theobaldo morem gerens pro suis

meritis... relaxavit anathema, ni respiscant dividenturque adulteri... statim illud renovaturus. Sensit potentia se iterum delusam, atque iterum evanuisse vindictam, qua se denuo irretitam experiretur. Atque id totum Bernardo acceptum referens (nam quis alius potuisset apud pontificem?) querulas nimium ad eum litteras dedit, quibus Bernardus libere pro more, sed veneranter respondit, » stans videlicet constanter pro justitia, dum iniquam regis postulationem in causa Radulfi rejicit, eundemque regem monet, ut non premit innocentes, neque contra se irretet Regem supremum. Exstat inter alias epistola ista ordine 220. Et post illam quidem Patris sanctissimi industria et cura in componendo publico hoc tantique moliminis ac momenti negotio cassæ quidem optato fuere eventu, non tamen eo reductæ, ut ulteriorem eidem operam navare non perrexerint. Videri potest epistola 221.

339. Verum quidnam interea rex Ludovicus? Audiantur prædicti Annales cap. 2, numer. 1: » At non exasperatus Ludovicus, quod satis mirum, atque in juvene indicium melioris animi, nec dedignatus responso virum Dei: quin potius longam ad eum dedit epistolam, excusationes texens et querimonias, quæ Theobaldum de multis, de quibusdam etiam Bernardum insectaretur, quod juramentum per fraudem ludificasset, cum terra adhuc maneret sub interdicto: quod matrimonii sibi devinciret Flandrensem comitem, Suessionensemque, quorum auxilio in regem rebellaret: quod Radulfus ab eo sollicitus, Bernardo conscio et complice, ut qui eidem peccatorum veniam polliceretur, si Theobaldo vellet adherere. Hæc et similia rex cum rescripsisset, Bernardus duos ejus consiliarios, pactionum arbitros, Joslenum ac Sugerium interpellavit, per quos, ut conscios totius veritatis, longe efficacius, ut amicos, facilius reduceretur. » Habetur ista epistola inter Bernardinas ordine 222. Pergamus ad Manricum numer. 7. » At cum sanctus doctor epistolam aut casu apertam mitteret (ex quo sumpta occasio, velut fecisset per irreverentiam) vel ex conscientia mordaciorem Joslenus reputans, et quo reprehensibilior, impatientior, mordacissimum ei responsum reddidit, adeo ut nequaquam veteretur dicere, Sanctum locutum in spiritu blasphemiae, quod Godefridus affirmat in ejus Vita, atque ipsius sancti rescriptum testatur. » Hoc vide in epistola 223; illam consule lib. III, cap. 3, numer. 175. Observamus tamen obiter, epistolam illam in editione Mabilloniana non innecti anno Christi 1142, in quo sumus cum Annalibus Cisterciensibus, sed anno 1143. Ex his interim abunde intelligitur, a S. Bernardo tentata fuisse omnia, ut luctuosissimæ huic inter duos discordes principes controversiæ remedium afferret; sed irritum hactenus conatu, sicut planum fiet ex eventibus qui postmodum subsequuti sunt.

§ XXXII. *Alia Bernardi tentamina, ut tragicis Gallicæ dissensionibus succurreret; Innocentii PP. gratia excidit immerito.*

340. Dum hinc gradum facimus ad annum Christi 1143 funestissima rerum Gallicarum nobis objicitur scena: quam ut mutaret in lætiorem, quot quantosque vir sanctus non insumpsit labores, eo certe duriores, quod optato fructu frustraretur. » Ruebant, inquit Manricus ad hunc annum cap. 1, numer. 1, in deteriori Galliae res, et Ludovicus, pietatis vinculis ruptis, quotidie irreligiosius, in Theobaldum atrocius debacchabatur: idque hoc anno 1143... quo Bernardus ad curiæ cardinales, maxime autem ad dilectum sibi filium Stephanum Prænestinum episcopum mœrens et dolens hanc scripsit epistolam, miserum Galliae statum continentem. » Epistola hæc in editione Mabillonii est ordine 224 e qua excerpta sequentia: » Vos... scitis, quomodo ego quoque pro rege steterim in conspectu domini mei, corpore quidem absens, sed prærens spiritu, ut loquerer pro eo bonum. Bona siquidem pollicebatur. Nunc autem ipso reddente pro bono malum, cogor contraria scribere... Conculcantur apud nos sancta, Ecclesia turpiter ancillatur. Nam et electiones episcoporum prohibentur fieri, et sicubi id præsumptum a clericis fuerit, electus episcopari non sinitur. Denique sedet in tristitia ecclesia Parisiensis, proprio destituta pastore, et nemo est qui de substituendo alio mutire audeat. Non sufficit spoliari bonis præsentibus domos episcopales: etiam in terras, et in homines manus sacrilega circumquaque desævit, totius imperii anni ex eis sibi reditus vindicando.

341. » Commisit rex germano suo Roberto vices episcopi, et ille in cunctis terris, rebusque Ecclesie potestative versans... infert cœlis quotidianas hostias, non plane pacificas, clamores pauperum, lacrymas viduarum, planctus orphanorum, gemitus compeditorum, sanguinem interfectorum... Præterea rex, nobis quidem non parum laborantibus, pacem cum comite Theobaldo fecerat...; et, ecce, occasiones querit, quomodo recedat ab amico. Atque hoc grande crimen, quod impingitur comiti, quia cum baronibus regis de liberis suis contrahit matrimonia. Suspecta est illi dilatatio charitatis, nec se putat regem, si se amaverint principes... Propterea ergo pacis conventiones et constitutiones manifeste transgreditur, nec tenet pacta sua, quæ distinxerunt labia sua. Denique revocavit in domum suam, et ad consilium suum virum adulterum, et excommunicatum, quem ex constituto ejecerat et pro exercenda majori malitia, aliis multis nequam æque excommunicatis, perjuris, incendiariis, homicidis, rex et advocatus Ecclesie, adversus Ecclesiam (quod non est dubium) amatorem, et defensionem denuo sociatur... Ad hæc, cogit suo more episcopus ad maledicendum benedicendis, et iterum benedicendum maledicendis... Qua fronte, obsecro, tantopere aliis præscribere de consanguinitate laborat, homo cum sua (quod palam est) tertio ferme

consanguinitatis gradu permanens consobrina? 442. » Et quidem item filium comitis Theobaldi, et comitis Flandrensis filiam, et item inter comitem Suessionensem, et filiam comitis Theobaldi, si consanguinitas sit, nescio (scienter enim illicita matrimonia nec laudavi unquam, nec laudo): sed sciatis vos, et sciat dominus meus, prohiberi horum nuptias. » Hæc sunt inter alia plura, quibus Bernardus compellat Stephanum: nec dissimilia, ut perhibet Manricus num. 6, » ad cæteros episcopos, quos sciebat pontifici adherere, tantis malis, quæ possent, obviaturos. Cur autem ad Innocentium tunc non scripserit, hoc ipso anno inferius declarabimus. » De dicto rege Ludovico consuli possunt Horstii notæ apud Mabillonium in epistolam 224, column. Lxx. Apud quem etiam exponitur tertius fere consanguinitatis gradus ille, de quo supra, nec non in notis brevioribus column. 209. De Radulfo comite Veromanduorum uxorem repudiante, et aliam ducente, scribit Pagius ad annum Christi 1142. Videmus itaque S. Bernardum intendere omnes nervos, ut perditissimis Galliae rebus succurrat. His breviter ad præcedentem epistolam observatis, argumentum præsens prosequamur cum Annalibus Cisterciensibus allegatis: ubi hæc sunt num. 7 et 8.

343. » Interim ipse sanctus, Hugoque, qui arbitri pactionum pro Theobaldo, quique quærendæ paci ecclesie Gallicæ ab Innocentio dati, id quod Bernardus non leviter insinuat in epistola ad ipsum, ne quid omnimodo intentatum remaneret, convenire regem interponere proceres, divina humana jura protestari, belli damna proponere, et quocumque vincente, perire regnum, quo sine neque rex possit consistere. Nam cujus illa terra, quæ vastabatur? Cujus homines, in quos desæviebat? Nonne ex ejus ærario restituenda?... Atque hæc quidem de lucris temporalibus: nam de fama et honore adhuc majora, maxima de salute declamabant; » sicut pluribus ibidem exponitur. » His et similibus regem nunc per litteras, nunc coram aggressi, et reverenter constanterque arguere, obsecrare, increpare in omni patientia et doctrina perseverabant. Et jam conventus Corbolii destinatus promittebat meliora, si non rex, vix auditis sanctorum placitis, et nihil sibi deferri, quandiu non omnia, tenaciter contestans pro more principum, indignatus ac furens recessisset, impatiens æqui, nec solum non obediens, verum non audiens. Tunc sancti viri confusi fœda repulsa, sed nihilominus constantes pro pace regni, per fratrem Andream, sibi inter charissimos, et, ut apparet, regi familiarem, talem ad eum epistolam scripserunt. » Exstat ea apud Mabillonium inter Bernardinas ordine 226. Porro » Andreas iste (de Baldemento, uti additur in textu epistolæ) celebris fuit, variisque negotiis adhibitus. Subscribit primariis litteris abbatis Caricampi in tomo II Spicilegii pag. 329, et cum Bernardo testis habetur concordie inter Ludovicum Juniorem et Algrimum Aurelianensem archidiaconum initæ